



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 338. An res publicæ locari & conducì possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

exigere possit. Lauterb. *loc. cit.* cum Mantio. *de tac. & amb. convent. l. 5. tit. 3. num. 1.* ubi verò superveniens rei locata dominus eandem vindicando conductori aufert, teneatur locator sciens rem esse alienam conductori ad interesse *l. 7. 9. & 15. ff. h. t.* Muller. *loc. cit. lit. a.* quamvis Lauterb. *cit. §. 22.* addat, teneri ad hoc locatorem, sive sciverit, sive ignoraverit esse alienam. Arg. *l. 19. §. 1. ff. h. t.* Modò tamen aliqua culpa illius intercesserit; eò quòd ubi quis re uti prohibetur locatoris culpà, ibi interesse petatur, licet conductor rei conditionem ignoraverit, quam tamen scire debuit, ita tamen, ut ab hoc interesse præstando locator ignorans liberetur, rem similem, non minùs commodam conductori præstando, ut Lauterb. cum Franzk. *loc. cit. num. 48.* cùm usus, qui hic transfertur, faciliùs per æquipollens suppleatur. Gomez. *2. var. c. 32.* secus, ac accidit in venditionibus similibusque contractibus, in quibus aliud pro alio substitui invito nequit. Uti etiam à præstando interesse liberatur exceptione justæ ignorantia. V. g. quòd rem bona fide ab alio emerit, sicque sine dolo & culpa rem alienam locaverit. Arg. *l. 9. ff. h. t.* conductor tamen, qui sciens rem esse alienam, conduxit, ob rem evictam ad interesse agere nequit. Arg. *cit. l. 9.* De cætero res conducta à conductore, adeoque respectu illius aliena, alteri æque idoneo ad eundem usum (non ad alium, cùm nec ipse conductor primus eam ad alium usum, quam ad quem conducta, uti possit juxta *l. 6. C. & 7. ff. h. t. Molin. d. 489. num. 1.* Lauterb. §. 23.) locari potest, Arg. *l. 7. ff. de usu & habit.* Sic v. gr. studiosum ante tempus conductionis elapsum recedentem à domo conducta, posse in conductione subrogare sibi alium pium & quietum, habet Rebuff. *de privit. universit. privit. 12. num. 1.* apud Lauterb. *loc. cit.* ita tamen, ut secundus hic conductor, licet tantùm locatori suo, & non primo locatori, teneatur actione personali ad solvendam pensionem, res tamen ipsius, quas in prædium urbanum induxit, & fructus prædii rustici pro ea parte & pensione sub qua conduxit, per modum hypothecæ tacitæ obligentur primo locatori, eique contra illum competat actio hypothecaria. Uti hæc sumuntur ex *l. 4. & 7. ff. in quib. caus. pign. tacite contrab. & l. 11. ff. de pignor. act.* Lauterb. *loc. cit.* Pari modo potest usufructuarius rem alienam usufructuariam locare alteri *l. 9. ff. h. t.* Lauterb. *loc. cit.* quem vide. Idem dicendum de vasallo, quem, etiam sine consensu domini, feudum bona fide posse locare alteri, etiam ad longum tempus, tenent Lauterb. §. 24. Muller. *l. c. lit. a.* citans Vultejum *l. 1. de feud. c. 2. num. 9.* juxta textum §. *donare 1. l. 2. feud. tit. 9.* Qui textus loquitur generaliter, & ad valorem talis locationis aliud non requirit, quam ut non sit fraudulenta, & non vergat in contemptum domini; uti in eam non vergit, dum per eam non transfertur dominium, neque etiam possessio rei feudalis; neque vasallus locans fraudat dominum debitum ei oble-

quius; cùm etiam ipsi ex mercede locationis accepta deservire valeat, ut Arumæ. *disp. feud. 7. thes. 8.* & locatoris jure resoluta seu perempto, resolvatur quoque jus illud conductoris juxta *l. 9. ff. h. t. l. 69. de legat.* Ad hæc, ut Lauterb. succellor feudi seu in feudo non teneatur stare hujusmodi locationi factæ à prædecessore vasallo.

*Quest. 338. An res publicæ locari & conducti possint?*

**R**esp. Res publicæ ad Fiscum vel Rempublicam spectantes, tam corporales, ut sunt prædia civilia & fiscalia, quam incorporales, quæ in jure consistunt, ut sunt redditus ex salinis, metallifodinis, vectigalibus provenientes à Fisco vel Republica locari possunt quibuscunque, & à quibuscunque privatis conducti possunt, exceptis iis, quibus locari, & à quibus conducti specialiter prohibentur. Muller. *in Struv. h. t. thes. 4. lit. C.* imprimis tamen locandæ divitibus, ut idem juxta *l. 1. C. de locat. præd. civil.* Non tamen hi conductores conductionem continuare cogi possint, si elapso locationis tempore res tales tantidem conducti nequeunt. Idem juxta *l. 3. §. 6. de jur. fisc.* nisi fortè ex antecedente etiam finita locatione maximos consecuti sint fructus, *l. 11 §. fin. de publ. & vectig.* ii vero, quibus istiusmodi res locari specialiter prohibentur, sunt ferè sequentes; qui prioris conductionis mercedem non solverunt, ex ea ratione, ne ex illa causa contracta debita aggraventur, *L. locatio §. 2. de publ. & vectig.* nisi tamen fidejussores idoneos obtulerint, *cit. L.* Item tutores & curatores adhuc tutelam & curam administrantes, aut qui eam deposita rationes illius necdum reddiderunt; secus tamen, si tam pupillis quam vectigalibus satisfecerint, *L. unic. C. int. vel curat. vectig. cond.* Item minores 25. annis ob beneficium restitutionis in integrum, quo fruuntur, *L. in fraudem §. fin. ff. de jur. fisci.* Item clerici, Novell. 123. c. 6. Item Judæi, *c. penult. de judæ.* Muller. *loc. cit.* Ac denique milites & curiales, *L. unic. C. quib. ad conduct. præd. civil. acced. non licet. L. milites. L. licet. C. locat.*

*Quest. 339. An & qualiter res ecclesiasticæ locari & conducti possint?*

**1.** Resp. primò: Beneficia ipsa, dignitates regimen spirituale animarum, aut jurisdictionem ecclesiasticam habentes etiam commendari & committi valeant, nullatenus tamen locari & conducti pro mercede posse extra dubium est, & constat ex *tit. ne præl. vices suas;* ubi de eo expressè.

**2.** Resp. secundò: Quomodo verò res ipsæ temporales ecclesiasticæ, seu spectantes ad ecclesias, monasteria aliaque loca sacra & religiosa; item redditus, proventus, fructus earum, etiam ipsorum beneficiorum locari possint, etiam laicis, satis dictum est supra *ad tit. 13. de reb. eccl. alien.* quæ vid.